

ciunt vel ad commodum et utilitatem ecclesiae suae principalis et demum suffraganeorum ecclesiarum suarum conducunt. Cum inquam ex antiqua et antiquata consuetudine imperii episcoporum omnium, qui de iurisdictione sunt imperii, decedentium in quibuscumque redditibus reliquiae fisco imperiali deberent cedere, ob sinceram dilectionem memorati archiepiscopi eiusque personae reverentiam successoribus suis, domino a praesenti toga carnis ipsum exuente, et successoribus omnium suffraganeorum suorum imperpetuum concedimus iuri imperii in hac parte derogantes, ut omnes proventus episcopales, qui defunctis episcopis imperio cedere deberent, ad usus ipsorum colligantur et collecti conserventur, statuentes ut si morientes episcopi aliquibus fuerant debitis innodati ea exinde persolvantur, per hoc tamen speciale gratiae nostrae donum Magdeburgensem ecclesiam omnesque eius suffraganeas ecclesias cum omnibus earum familiis occasione nominati archiepiscopi volentes esse specialius honoratas. Ut autem hoc libertatis nostrae donum ipsis ecclesiis perpetuo maneat inconvulsum praesentem paginam exinde conscribi iussimus et signo regiae maiestatis consignari, statuentes et regio edicto firmiter praecipientes, ut nulli de cetero personae altae vel humili ecclesiasticae vel seculari hanc nostrae donationis divalem paginam licitum sit infringere vel aliquo ei temeritatis ausu obviare. Quod qui facere praesumpserit centum libras auri componat, quarum medietas fisco, reliqua vero iniuriam passis cedat.

Signum domini Philippi secundi Romanorum regis invictissimi.

Acta sunt haec anno ab incarnatione domini M^o. CCIIII. Testes huius rei sunt Diethalmus Constantiensis episcopus, Hartwicus Augustensis electus, Bernardus dux Karinthiae, Heinricus iuvenis dux Saxoniae, comes Ulricus de Withiin, comes Fridericus de Brenen, burgravius de Magdeborch, comes Burghardus de Mannesfeld, Heinricus marscalcus de Callendin, Heinricus dapifer de Walperc, Heinricus de Smalnekke et alii quam plures. Datum per manum Syffridi regalis aulae prothonotarii in castris prope Erffordiam X. Kal. Octobris indictione VII.

Nach dem Cod. S. Maur. im Herzogl. Archiv zu Bernburg fol. 19.

No. 73. 1205. 13. Juni.

P. Innocenz III. benachrichtigt die Pröbste zu Würzburg und Heusdorf und den Decan zu U. L. Fr. zu Herford, dass er in der Streitsache zwischen dem Bischof und mehreren Mitgliedern des Domcapitels wegen Aufnahme eines Mag. Martinus in dasselbe sich nach Abhörung der Partheien für die Aufnahme entschieden, auch den Martinus in die vacante Präbende investirt habe. Die Genannten werden beauftragt darüber zu wachen, dass M. in den ruhigen Besitz des Canonicats gelange.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . Wirzeburgensi et . . in Husdorp praepositis et . . decano sanctae Mariae in Herfordia Maguntinensis diocesis salutem etc. Cum dilectus filius L. procurator venerabilis fratris nostri . . episcopi Misnensis ex una parte et . . praepositus Wrchinensis¹⁾ Bercer., Ulricus et magister Nicolaus, magister Albertus et Albertus procurator quorundam Misnensium canoni-

1) *Wrzinensis*, Wurzen.